

SCRIBONIUS LARGVS CALLISTO SVO SALVTEM

Inter maximos quondam habitus medicos Herophilus, Cai Iuli Calliste, 1
fertur dixisse medicamenta divum manus esse, et non sine ratione, ut
mea fert opinio: prorsus enim quod tactus divinus efficere potest, id
praestant medicamenta usu experientiaque probata. animadvertimus
5 itaque saepe inter deliberationes contentionesque medicorum auctori-
tate praecellentium, dum quaereretur, quidnam faciendum aut qua ra-
tione succurrendum sit aegro, quosdam humiles quidem et alioquin igno-
tos, usu vero peritiores, vel (quod fateri pudet) longe summos a disci-
plina medicinae ac ne adfines quidem eius professioni, medicamento effi-
10 caci dato protinus velut praesenti numine omni dolore periculoque li-
berasse aegrum. quamobrem spernendi quidem sunt, qui medicinam spo- 2
liare temptant usu medicamentorum, non a medendo, sed a potentia
effectuque medicamentorum ita appellatam, probandi autem, qui omni
modo succurrere periclitantibus student. ego certe aliquotiens magnum
15 scientiae consecutus sum titulum ex usu prospere datorum medicamen-
torum multosque ex eadem causa non mediocrem gloriam tulisse memini.
est enim haec pars medicinae vel maxime necessaria, certe antiquissima
et ob hoc primum celebrata atque inlustrata, siquidem verum est anti-